

larunt et expanderunt, quando eum ad mortem crucis condemnarunt et clamaverunt: *Crucifige*. Linguae eorum cultri fuerunt, quibus hostiam hanc mactarunt. Hinc Augustinus, in psalm. LXIII. ait Judæis: *Unde occidistis? Gladio linguæ: acuisistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige?* Hoc indicavit Marcus, cap. XV. cum dixit: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*: Judæi scilicet, cum Pilatum coegerunt, ut Christum crucifigeret.

Tropologice debet hac ratione Deo se offerre homo, ut nimirum totum se expandat et effundat coram Deo. Nec enim frustra dicitur in Levitico immolanda hostia in conspectu Domini, quia Deus aspici, quomodo immoletur, quomodo peccator confiteatur, quomodo conscientiam examinet, quomodo conteratur, etc.

V. Sacerdos qui unctus est, id est, pontifex (ut ex Græco et Chald. patet,) inferebat de sanguine vituli in tabernaculum testimonii, id est, sanctum sanctorum. Debebat hoc facere summus sacerdos, quia peccatum totius populi reputabatur admodum grave, ideo ministerio pontificis erat expiandum. Allegorice vero designabat hæc cæremonia peccatum totius generis humani a solo pontifice Christo expiandum; ipse enim et hostia erat et sacerdos. Intulit vero de sanguine in sanctuarium, sive quia partem sanguinis effudit in Jerusalem civitate sancta, reliquum fudit ad basim crucis; sive quia sanguinem suum repræsentavit Patri cælesti, et revera intulit in cælum, quando in id ascendit; sive etiam quia partem effusi sanguinis collegit et resumpsit Christus resurgens, adeoque intulit in tabernaculum sancti et gloriosi corporis sui; partem reliquam effudit, hoc est, non resumpsit; quia glorioso corpori sufficit minor sanguinis copia, neque enim indiget illo, qui ad nutritionem est necessarius, neque illo, qui fabricandis vitalibus et sensitivis spiritibus inservit. Confirmant hoc ipsum Silvester, in rosa aurea, tract. III. q. XXII. et Joan. Major. in III. d. XVI. q. IV. insigni miraculo, quod aiunt accidere annis singulis in S. Maximo prope Massiliam, ubi spectante universo populo in die paraseves perfecta Christi passione effervescit in ampulla sanguis Christi, quem terra permixtum collegit Magdalena ad pedem crucis, et secum Massiliam detulit.

VI. Pontifex tincto septies igitur in sanguinem vituli aspersit contra sanctuarii velum, ad significandam videlicet perfectam expiationem, quæ septenario numero continetur. Fecit hoc Christus, cum in sua passione septies effudit sanguinem, diversis e membris a carnificibus elicitum. Primo e toto corpore, cum flagellaretur; se-

cundo e capite, cum spinis coronaretur; deinde e manibus ac pedibus, cum in crucifixione quatuor acciperet vulnera; denique e latere, cum lancea configeretur. Atque ita septem aperuit fontes sanguinis ad expianda septem peccata capitalia totius mundi, qui significant septem sacramenta. Rursum septies, id est, sine intermissione spargit hunc sanguinem Christus contra velum sanctuarii, id est, coram oculis Patris sui cælestis ad expianda hominum peccata.

VII. Ponebat de eo sanguine pontifex in cornibus altaris. Quod etiam fecit Christus, quando in cruce expansus cornua illius sanguine suo tinxit, de quibus cornibus dixit Habacuc, c. III. *Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus*. Illa enim tinctura acuit Christus gladium suæ crucis, ut eo dæmonem interimeret. Fuerunt autem cornua in manibus Christi, non manus in cornibus, quia crux in ejus fuit potestate.

VIII. Reliquum sanguinem fundebat circa basim altaris holocaustorum. Ita Christus sanguinem, qui non effusus erat in prætorio, nec adhæsit cruci, etc. effudit ad basim crucis, quia pro totius mundi redemptione patiebatur.

Tropologice vult Deus ut effundamus coram illo corda nostra, juxta illud Thren. II. *Effunde sicut aquam cor tuum*. Item ut effundamus sanguinem, id est, peccata, eorumque affectum, ita ut ea resumere nequeamus; quomodo aqua in terram effusa nequit recolligi. Sic fecere viri illi, qui ad præceptum Samuelis abjecerant idola, et in symbolum pœnitentiæ, *hauserunt aquam et effuderunt in conspectu Domini*, I. Reg. VII. hoc facto indicantes se ita ex animo effudisse impietatem pristinam, quomodo nunc effundebant aquam in terram.

IX. Omnem ejus adipem tollebat et adolebat super altare. Quod nimis in Christo verificatum, quando in cruce omnis ei decor, omnis substantia, omnis honor ademptus est, et ab ipso combustus in odorem suavitatis Deo. Nudus ibi pependit in maximis cruciatibus, in maxima ignominia, ita ut non remaneret ei quidquam virium, honoris, substantiæ, libertatis, consolationis. Unde in psalm. XXI. quem recitare cœpit Christus in cruce, (utpote de se patiente scriptum) ita incipit: *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Erat enim tunc omnibus bonis destitutus, etiam illa superna consolatione, quam inferior animæ pars participare consueverat ex animæ beatitudine. Et clarius paulo infra idipsum exprimit dicens: *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me, q. d. Robur meum*

et pinguedo mea tota exaruit, omni virore ac vigore exhausto, dum ita me tractari et spoliari passus sum, quasi impotens essem ad resistendum aut lædendum etiam lingua mea. Cæterum hic in seipso Christus combussit et adolevit Deo in odorem suavitatis omnem etiam mundi adipem, honores, divitias, voluptates; et quæ prius magnificiebat mundus, ea nunc vilia, ea et contemptibilia reddidit.

X. Rogabat pro populo sacerdos, et propitius erat ei Deus. Fecit et hoc Christus, quando in cruce oravit: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Quasi enim oblitus sui, et nescius quo loco vel cum quibus esset, *pro transgressoribus rogavit*, inquit Isaias, in c. LIII. Nec inaniter: impetravit enim latroni et centurioni conversionem, gratiam, gloriam; cæteris vero qui aderant, ut perculti salutari timore et pœnitentia percutientes pectora sua reverterentur.

XI. Vituli caro efferebatur extra castra ad litteram, ut significaretur abominatio peccati quod meretur removeri longe ab oculis, imo extra mundum efferri in infernum et ibi concremari. Allegorice hoc in Christo verificatum testatur apost. ad Heb. XIII. qui *extra portam passus est*. « Nec intra septa civitatis (ait S. Leo, sermon. IX. de passione) ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris et extra castra crucifixus est Christus, ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari; et crux Christi non templi esset ara, sed mundi. » Ad hæc quia peccatis hominum elementa et ipsum quodammodo cælum erat contaminatum, sub cælo pati debuit, ut omnia expiaret et purificaret.

Tropologice docemur exire extra castra tumultuum et negotiorum sæcularium, pompæ, luxus, voluptatum, cum Deo sacrificare, ad Christum et s. eucharistiam accedere volumus.

XII. Incendebatur super struem lignorum et comburebatur; sive ut significaretur summum Dei dominium in res omnes, quas suo nutu tractare, et in cinerem, ipsumque nihilum redigere possit, si velit; sive ut ignis infernalis peccatis debitus repræsentaretur. Sed qua ratione caro Christi et combusta est super struem lignorum? Quando super crucis lignum amoris igne incensa et morte consumpta est. Nisi enim hic ignis Christum inflammasset, nihil ei nocere potuisset, quidquid tandem machinarentur Judæi.

Hunc in modum suam quisque carnem docetur immolare. « Habes et tu vitulum, quem offerre debebas (inquit Origenes, hom. I. in Levit.) Vitulus est et quidem valde superbus caro, quam si vis munus Domino offerre, ut eam castam, pudicamque custodias, adduc eam ad ostium

tabernaculi, id est, ubi divinorum librorum suscipere possit auditum. Masculinum sit munus tuum, feminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat aut molle; impone etiam manum tuam super hostiam tuam, ut sit accepta Domino, et jugula illam contra Dominum, hoc est, impone ei continentiæ frænum, et manum disciplinæ ne auferas ab ea sicut imposuit manum carni suæ ille qui dicebat: « Macero corpus meum et servituti subicio, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar, etc. »

CONCIO V.

QUAM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM PATI.

I. Respectu Dei. — II. Respectu Christi. — III. Respectu Adami. — IV. Respectu diaboli. — V. Respectu hominum.

THEMA.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu? Joan. VIII.

Bene dicitis, o Judæi, tametsi non bono animo, Christum esse Samaritanum; siquidem hoc ipse minime negavit. Samaritanus ergo fuit Dominus noster, sed qualem ipse descripsit, Luc. X. qui conspecto illo homine, a latronibus confecto et vulneribus conciso appropinquavit et alligavit vulnera ejus, tulitque eum in jumentum suum et duxit in stabulum. Fecit enim hoc Christus, quando ipse motus misericordia, vulneratus est propter scelera nostra, quæ inflixerant nobis dæmones; et quando ipse *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, ut ait D. Petrus, I. Petr. II. *Vere enim languores nostros ipse tulit*, inquit Isa. c. LIII. *et dolores nostros ipse portavit et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum*. Existimabant Judæi ipsum propter peccata sua a Deo sic punitum; cum tamen, ut mox sequitur, *vulneratus sit propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra*. Verum hic interrogare licet, quamobrem Christus Dominus talis fieri Samaritanus, talisque leprosus et tales in se cruciatus ipsamque adeo mortem suscipere voluerit, præsertim cum aliis operibus minoris laboris sanare nos poterit. Huic quæstioni respondendum videtur in dominica præsentate, quæ passionis dicitur, quia memoriam ejus inchoat.

I. Respectu Dei, cujus justitiæ congrue satisfieri non poterat, nisi per passionem Filii et san-

guinis ejus effusionem. Primo, quia peccata cum sint summum malum, faciunt homines dignos morte et sanguinis effusione, anima enim, id est, vita consistit in sanguine, non formaliter, sed causaliter et concomitanter, quia causatur et sustentatur per sanguinem, juxta id Levit. c. XVII. *Anima omnis carnis in sanguine est.* Hinc in veteri lege offerentes victimam pro peccatis suis, mactabant eam et fundebant sanguinem ejus circum altare, vice scilicet sanguinis sui, quem ipsi fundere debent pro peccatis suis, quæ in victimam transferebant manuum impositione, quasi protestatione, (Levit. I.) quod ipsum etiam designavit fundendum aliquando sanguinem Christi pro peccatis hominum. Hinc est quod apostolus ad Hebræos IX. ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Tantum enim malum est peccatum ut sanguine et vita, id est, pretiosissimo hominis bono redimi debuerit. Quem admodum ergo mare non cessavit furere usque dum Jonas in id mitteretur, Jon. I. ita et ira Dei noluit acquiescere donec Christus manibus impiorum (quorum *cor velut mare fervens*, Isa. LVII.) traderetur et procellis passionis obrueretur. Hinc divina dispensatione permissum est, ut Judæi simili furore et implacabili rabie sitirent Christi sanguinem et mortem, quando nullis Pilati dehortationibus acquiescere voluerunt, sed importunis vocibus acclamarunt: *Secundum legem debet mori: et sanguis ejus super nos.* Hoc idem enim in judicio Dei clamavit justitia ejus, cui satisfieri non poterat, nisi sanguinis effusione et morte noxiorum, vel saltem alicujus innocui, qui illorum pœnam in se suscipere vellet ac posset. Quia ergo non decebat, ut justitia divina maneret semper læsa per peccatum, nulla facta reparatione, idonea tantæ injuriæ ideo sanguine placanda, sanguine sedanda fuit; dedecus peccati per decorem justitiæ abolendum fuit.

Secundo, quia hac ratione coerceri debeant homines a nimia peccandi libidine et libertate, in quam prolapsi essent, nisi hoc severitatis exemplum statutum fuisset in peccata, siquidem justitia vult puniri reos, ut, peccando coerceantur reliqui. Mirandum quoddam facinus, efficax tamen ad intentum finem, designavit rex Moab IV. Regum III. quando obsidione pressus immolavit filium suum super murum in conspectu hostium ut hoc miserabili spectaculo placaret hostium animos et commoveret eos ad solvendam obsidionem, uti exponit Abulensis, quæst. XXIII. Nec fefellit illum hæc cogitatio; nam ubi regem hostes eo redactum viderunt, ut de filio suo tam severe decerneret, sibi ipsi irati, quod patrem miserum coegissent in sua pene viscera ferrum adi-

gere et ex tragico sacrificio cruentas referre manus, statuerunt condendum esse gladium in vaginam, et salvo rege ab ulteriore cæde in patriam redeundum. Simillimum huic spectaculum edidit Deus in Filio suo, quem in conspectu hominum acerbissima plexit morte, ut hinc terribili peccatores, cessarent suis sceleribus ipsum impugnare, qui ob peccati odium in proprium se vivere Filium coactus sit, utique non parsurus aliis, qui pergerent delinquere. Quod si etiamnum post exhibitum hoc spectaculum in innocentissimo Dei Filio, tanta hominum libertas et pronitas ad peccandum est, quid quæso fieret, si tam se vero judicio peccatum mulctatum non fuisset?

II. Respectu ipsius Christi, ut condignum pretium offerret pro gratia et gloria tam sua quam nostra. Christus per passionem suam non tantum satisfacere debuit pro peccatis nostris, sed insuper sibi et nobis mereri gratiam et gloriam, eamque in cœlo immensam, ad hæc fontem quemdam perennem et inexhaustum, quo peccata, quotiescumque homines in ea inciderent, deleri possent, constituere, ut sic futuris eam hominum lapsibus consuleretur. At vero hæc talia et tanta comparari sine labore maximo, adeoque sine passione et morte non poterant, saltem congruenter. *Non enim coronabitur, (multo minus aliis coronas parabit) nisi qui legitime certaverit,* inquit apost. II. Timoth. II. Jason ille non accepit aureum vellus, nisi postquam multa per terræ marisque pericula, id quæsitum in Cholchidem Argo navi profectus est. Non fuit Davidi data in sponsam filia regis, divitiæ et immunitas a tributo, nisi postquam strenue preliatus, præsentissimo vitæ discrimine, vicit Goliathum, I. Reg. XVII. Eodem modo *nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* ipsiusmet testimonio, Luc. XXIV. Itaque cælestis Pater constituit non dare gloriam humanitati Filii sui, nisi eam sibi promeruisset maximis laboribus. Augustus Cæsar (sub quo Christus natus) filios suos nunquam populo commendavit, nisi cum hæc appendice: *Si merebuntur,* teste Suetonio. Idem fecit Deus. Filio suo, qua homini. Non contulit ei potestatem judiciariam, nisi postquam inique judicatus et condemnatus est. Non dedit ei sedere ad dexteram suam, nisi postquam ille sedit et pependit inter latrones. Non dedit ei gentes in hereditate et semen longævum, gloria et vita æterna cumulandum, nisi postquam is pro eo dedit vitam suam, juxta id Isai. LIII. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur,* id est, « Quidquid circa homines in vitam æternam supernaturaliter perducendos filios constituit Deus,

meritis Christi executioni mandabitur, » inquit Lud. Molina II. p. q. XXIII. art. IV. et V. disp. II. Noluit ei fontem perpetuæ remissionis et justificationis pro lapsuræ hominibus construere, nisi ipsemet Filius velut statua quædam fontanæ fieret undique perforata et e membris suis sanguinem distillans in ablutionem et salutem hominum, unde mox subjicit dicto loco Isaias: *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: (videbit Ecclesias in toto orbe consurgere, et earum saturabitur fide,* inquit S. Hieronymus in eum locum) vel saturabitur in membris suis, qui de fontibus ejus hausturi sint remissionem peccatorum, gratiam et gloriam; uti sequitur: *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.* Petra non dedit aquam populo Hebræorum, nisi percussa, Exod. XVI. Similiter: « Hæc petra (Christus) nisi fuerit percussa, aquas non dabit, percussa vero fontes producet. Nisi ille fuisset percussus et exiisset de latere ejus aqua, omnes sitim verbi Dei pateremur, » inquit Origenes et Augustinus.

III. Respectu Adami, primi hominis, ut ipsius peccatum, quia fons et origo fut cæterorum peccatorum, in Christo pleteretur debita proportionem et convenientiam. Videmus id communiter fieri in processibus criminalibus, blasphemus linguam excindi; perjuro binos digitos, quibus præstari juramentum solet amputari; exoculari, qui oculis suis pisces quæsitivis alienis in vivariis, etc. ut in eo puniantur, in quo peccaverunt, sicque agnoscat culpæ suæ amarum fructum. Visum igitur est Deo simili proportionem plectere in Christo culpam primi hominis. Quam rem apposite explicat Eusebius Emisenus in quadam homilia de paschate, ubi in persona Salvatoris ita loquitur: « Extendit homo inobediens præsumptuosas manus suas ad arborem vitæ; extendi ego manus meas innocentes ad arborem crucis. Per lignum commissum est peccatum; per aliud lignum est ablatum. Peccavit homo gustans suavitatem arboris prohibitiæ; satisfactum est pro illo peccato felle et aceto, quod propter illud ebibi. Homo condemnatus est propter superbiam affectans Dei similitudinem, humiliata est mea divinitas propter culpam illius superbiæ, et oblata est majestas pro delicto in ipsam majestatem commisso. Præter hæc omnia homo debitor erat mortis et oportuit illud debitum exsolvi: ideo mortalem naturam assumpsi, et mortem meam pro morte illa obtuli. » Hæc ille. Et quia peccatum Adami fons et origo omnium aliorum peccatorum fuit et in omnes homines pertransiit, illique in omnibus suis viribus et membris peccare solent, ideo Christus uti pro omnibus ita et ab

omni hominum genere passus est, a viris, feminis, juvenibus, senibus, principibus, privatis, sacerdotibus, laicis, liberis, servis, Judæis, paganis, amicis, inimicis. Passus est in omnibus bonis, in matre, in discipulis, in vestibus, in fama, in animo, in corpore, in omnibus membris, partibus, viribus, sensibus. Passus est pene omnia, quæ quis pati potest: agnoscimus ergo ex his amarissimum illum peccati fructum, quem tulit arbor vitæ.

IV. Respectu diaboli, qui meliori modo, quam per Christi passionem, vinci ac confundi non poterat. Descendit aliquando in certamen pictoriæ artis Parasius cum Zeuxide, ut scribit Plinius, l. XXXV. c. X. « Et cum ille detulisset uvæ pietas tanto successu, ut in scenam aves advoarent; ipse detulisset lintæum pictum, ita veritate representata, ut Zeuxis alitum judicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parasius autem se artificem. » Simili ratione depinxit diabolus arborem vitæ tam speciose, ut ejus species, quasi arbor vitæ et divinitatis esset, deciperet primos parentes ad eam advolantes, et inde non vitam et scientiam, quam sperabant, sed mortem et stultitiam carpentes. Verum Christus attulit linteam humanitatis suæ tam affabre pictam, ut nihil differre ab aliis hominibus dæmonis servituti subjectis videretur; cum tamen innocens esset, adeoque immunis ab imperio dæmonis. Quare cum dæmon instigasset Judæos ut manus mitterent in hoc linteam idque e medio tollerent clamando: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige,* vidit et expertus est linteam hoc ab aliis longe diversum, nec filis peccatorum contextum aut sordidum, sed mundum, impollutum et ab omni culpa liberum esse, itaque deceptus est ipsemet mille artifex et hominum stultorum auceps, perdiditque imperium suum dum invasit alienum. *Sic non potentia virtute, sed justitiæ dominatu suo imperio exutus est, victus ab illa natura quam vicerat, et amittens omnium servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem,* inquit S. Leo papa, ser. II. de nativitate. Permisit Deus homini, ut comederet de omnibus arboribus paradisi, una tantum excepta. Similiter permisit dæmoni omnes homines in peccato constitutos secum in suum regnum abripere. Qua licentia data exemptus erat, quicumque peccato obnoxius non erat. Dæmon autem videns Christum, ut alios homines, calamitatibus, pœnis et morti, quæ peccatum sequebantur, obnoxium, existimavit etiam illum similem aliis hominem esse peccatorem. Itaque ei mortem in-

flixi, homini sibi non subjecto; unde juste pro merito est ut omne id quod possidebat. amitteret, sicque homo titulo quodam justitiæ ab ejus imperio et captivitate liberatus est. Hoc mysterium aperuit olim Deus Jobo dicens: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* Quomodo scilicet ego extraham? Job XL. Leviathan, piseis mole maxima, diabolus designat; quia a Deo captus est hamo incarnati Filii Dei, in quo esca erat ejus humanitas, miseris hujus vitæ subdita, unicus vero sub ea latens ejusdem fuit divinitas. Videns ergo hunc hamum demon, cæteris mortalibus similem, credidit et reum esse, ideoque per membra sua (Judæos) morti objecit eaque mediante quodammodo deglutivit. At vero ab ejus innocentia et latente divinitate captus Leviathan omnem suum dominatum, quem habebat in homines, perdidit; et ita dolo victus est qui dolo vicerat. Hinc per Oream, cap. XIII. ei dicitur: *Ero morsus tuus inferne, morsus scilicet exitialis.* Ad hæc quemadmodum Goliath proprio gladio decollatus est a Davide, sic diabolus a Christo suis armis victus est. Invexerat is in mundum sua suggestione mortem et cæteras miseras; hanc mortem in se suscepit Christus, unaque diabolus prostravit et mortem. Draco dum elephantem involvens sanguinem ejus ebibit, a concidente elephante opprimitur et commoritur, ut refert Plinius, l. VIII. c. XII. Ita etiam diabolus dum invasit Christum et sanguinem ejus ebibit, a moriente oppressus est.

V. Respectu hominum quorumcumque, quos efficacius ad virtutis studium incitare et ad salutem suam perducere non poterat, quam pro eis patiendo et moriendo. Imprimis enim si ad spem voluit eos erigere, quo meliore modo potuit id facere? Quis enim desperet, cum Deum tanta et tam difficilia pro se fecisse videt, nec quidquam amplius ardui ad salutem suam ipsi patrandum restare? Nec enim rursus pro illis pati debet; neque cogitare possunt velle eum pretium sanguinis sui inane et labores irritos. Si ad charitatem accendere, quomodo non redamabunt eum, qui sic amavit eos? Si enim parum videtur hominibus quod a Deo creati sunt, quia scilicet nullo ejus labore, sed unico verbo facti sunt, certe tamen parum videri non potest, quod ab eo tantis laboribus reparati, tanto pretio empti. Si ad amorem et studium virtutum, præsertim paupertatis, mansuetudinis, patientiæ, obedientiæ, humilitatis, mortificationis, etc. inflammare, quo efficaciori modo potuit hoc facere, quam easdem virtutes in semetipso ad vivum exprimendo? Quis enim tantum ducem in his sequi erubescat? Imo quis non erubescat,

sequi si detrectet? Quomodo enim nostra superbia melius poterat deprimi, quam illius humilitate? Nostra avaritia creari, quam ejus paupertate? Nostra libido edomari, quam ejus doloribus? Nostra ira frænari, quam ejus patientia? Nostra gula coerceri, quam ejus siti et felle? Nostrum odium vinci, quam ejus amore? Nostra maleficia, quam ejus beneficiis, etc. Si ad odium peccati permovere, quomodo potuisset melius, quam ad id abolendum extrema patiendo? Si enim non enorme, execrandum et omnibus modis fugiendum esset peccatum, nequaquam id crucifixisset Deus in Filio suo, tametsi ex alieno dorso in dorsum ejus translatum esset. Si ita punitus fuit, qui gladium homicidæ nulla sua culpa apud se gestavit, quomodo punietur is, qui ad homicidium patrandum gladio illo utitur? Si ad patientiam in ægritudine, paupertate, contemptu, injuriis animare, ubi major consolatio tristium, ubi efficacius remedium reperitur, quam in crucifixo? Hinc robur accepere martyres, hinc solatium capiunt ægri, hinc remedium sumunt tentati, hinc refugium inveniunt poenitentes. Si ad vitam christianam recte instituendam dirigere, nulla ad hanc certior et planior est vita quam crux; siquidem vita christiana, si recte expendatur, aliud non est quam crux, (qualem vixere apostoli, martyres, confessores, anachoretæ et omnes pii, qui tamquam purgamenta hujus mundi erant, omnium peripsema, non qualem nunc plerique Christiani vivunt) et mors totius hominis, ut post mortem istam transformari possit, quodammodo in Deum. Quemadmodum enim avis non deferretur ad mensam regis, nisi prius mactata, deplumata et assata (qua similitudine pro concione audita Gonsalvus Mederius Lusitanus, repente immutatus, relicto sæculo, societati Jesu nomen dedit, ut in histor. ejusdem, tom. I. lib. I. num. CIV.) ita anima fidelis non deferretur ad mensam Christi celestem, nisi prius hic moriatur suis cupiditatibus, deplumetur et assetur variis tribulationibus et sui ipsius mortificationibus. Jam vero ad hanc crucem qua ratione melius duci poterant homines, quam per crucem Christi? Nonne crucem intuens, vides ibi avem nobilem, mactatam, deplumatam, assatam, igne divini amoris? Vade ergo et fac similiter. Seria et severa est sententia S. Leonis papæ, serm. IX. de quadrages. quam legimus in hodierno officio, *lect. V.* « Sicut totius est corporis (Ecclesiæ) pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre, quæ merito ferri unicuique suadet, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur. » Ergo auditores, supponamus humeros unusquisque cruci suæ.

Si enim Samaritanus noster tulit nos in jumentum suum, quando ipse peccata nostra *perulit in corpore suo super lignum*; quid moramur nos tollere sarcinam non alienam, sed propriam, nequaquam tam ponderosam quam fuit illa Christi?

CONCIO VI.

CUR ECCLESIA TOTIES NOBIS REFRICET MEMORIAM PASSIONIS DOMINICÆ.

I. Ut excitemur ad gratitudinem. — II. Ut admoneamur applicare nobis passionem. — III. Ut a peccatis absterreamur. — IV. Ut instigemur ad meditando passionem.

THEMA.

Vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum. Joan. VIII.

Multis ac variis modis, passim et ubique, nullo non tempore memoriam Dominicæ passionis ingerit nobis Ecclesia. Quid enim imprimis missa, nisi memoria et representatio totius passionis? Nonne in ea sub speciebus panis et vini separatis, offertur et representatur separatio corporis et sanguinis Domini, adeoque mors ipsius? Nonne ibi elevatio, clarissima significatio crucifixionis Domini? Nonne reliquæ cæremoniæ historiam passionis Dominicæ proponunt? Deinde quid vestes sacerdotales ad missæ operationem factæ? Quid significat amictus seu superhumere collum operiens, nisi velum, quo facies Domini operta fuit, cum a militibus illuderetur? Quid alba toga, nisi vestem albam, in qua illus fuit ab Herode? Quid cingulum, manipulus, stola, nisi funes et catenas, quibus ligatus fuit? Quid casula, nisi purpuream Christi vestem? Quid corona in capite sacerdotis, nisi coronam spineam? Quid pileus quadratus, desuper crucis formam exprimens, nisi crucem Christi? Tertio quid sunt preces horariæ, nisi perpetuus quidam planetus Dominicæ passionis? Quid significat matutinum, nisi nocturnum tempus captivitatis Domini? Quid prima, nisi deductionem ejus ad judices? Quid tertia, nisi condemnationem? Quid sexta, nisi crucifixionem? Quid nona, nisi expirationem? Quid vespere, nisi depositionem de cruce? Quid completorium, nisi sepulturam? Quarto quid sibi volunt tot undique cruces non in fronte tantum pingi solitæ, sed etiam in templis undique, in domibus, in agris, in viis publicis sculptæ ac collocatæ et morientibus propositæ, nisi ut passionis Domini perpetuo nos admoneant? Denique quid certa

quædam tempora passionis memoriæ dedicata? Ad quid feriæ sextæ jejunium et pulsus ut vocamus tenebrarum, nisi ad venerationem passionis? Ad quid in sero feriæ quintæ pulsus angustiarum Domini, nisi ad memoriæ agoniarum Domini in horto? Quid hebdomada sancta et hodierna dominica passionis, ubi vexilla regis prodeunt et instrumenta Dominicæ passionis omnibus ostenduntur? Quid reliquæ cæremoniæ per has duas septimanas usitatæ, nisi memoria passionis? Quæ omnia imprimis mendacissimum hæreticorum os obtundunt, qui non verentur dicere, nos passionem Domini offuscare, enervare, opprimere. Deinde contrarium ostendunt, nos videlicet passionem Domini venerari, cordi habere, amare et extollere; ipsos vero hæreticos nostros, qui prædicta monumenta omnia extirparunt, eraserunt, sepelierunt, hostes esse verissimos Dominicæ passionis. Sed nunc quærat aliquis, ad quem finem nobis Ecclesia memoriæ hujus passionis tot modis inculcat? Breviter responderi potest: Ideo id facit Ecclesia, ne nobis objici possit, quod hodie objecit Dominus impiis Judæis, cum dixit: *Vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum.* Si enim nos Christiani confiteamur Christum Deum nostrum esse, pro nobis passum et mortuum esse, interim vero memoriæ passionis et mortis ejus non recolamus, dici etiam nobis poterit: *Vos dicitis quia Christus Deus vester est, et non cognovistis eum.* Sed videamus accuratius, cur Ecclesia Catholica tam sæpe nos admoneat Dominicæ passionis.

I. Id facit Ecclesia, ut nos ad animi gratitudinem excitet. Cum enim pauper aliquis ingens beneficium a principe accepit, verbi gratia redemptionem, tum sæpius hoc enarrat liberis suis, quo videlicet meminerint, a quo etiam ipsi evecti sint ad hanc gratiam, ne principi sint ingrati. Ad hunc modum Ecclesia liberos suos admonet beneficiorum a Christo sibi præstitorum, et quodammodo clamat id ps. LXV. *Venite et narrabo omnes, qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ.* Primo quia redemit nos sua passione de diaboli servitute. Monet nos Ecclesiasticus, capite XXIX. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Cujus rei exemplum de Damocle et Pythia narrat Valerius Maximus, libro IV. capite VII quod cum alter a Dionysio tyranno vinculus teneretur brevi occidendus, et prius ab eo peteret potestatem, abeundi in patriam ad sua disponenda, obsidem pro illo se dedit alter moriturus pro amico, nisi is ad destinatum diem rediret. Jam aderat judicii dies et obses jam deducebatur; tum ecce advenit reus,